Early Journal Content on JSTOR, Free to Anyone in the World

This article is one of nearly 500,000 scholarly works digitized and made freely available to everyone in the world by JSTOR.

Known as the Early Journal Content, this set of works include research articles, news, letters, and other writings published in more than 200 of the oldest leading academic journals. The works date from the mid-seventeenth to the early twentieth centuries.

We encourage people to read and share the Early Journal Content openly and to tell others that this resource exists. People may post this content online or redistribute in any way for non-commercial purposes.

Read more about Early Journal Content at http://about.jstor.org/participate-jstor/individuals/early-journal-content.

JSTOR is a digital library of academic journals, books, and primary source objects. JSTOR helps people discover, use, and build upon a wide range of content through a powerful research and teaching platform, and preserves this content for future generations. JSTOR is part of ITHAKA, a not-for-profit organization that also includes Ithaka S+R and Portico. For more information about JSTOR, please contact support@jstor.org.

CAROLI LUDOVICII URLICHSII

De lupa aenea Capitolina oratio die XXIX. mens. Octobris habita.

Diu multumque mecum cogitavi, quamnam mihi potissimum munus professoris extraordinarii auspicaturo ad dicendum materiem sumerem, quae neque ab huius loci amplitudine abhorreret neque subtilior esset ac difficilior, quam ut huic tempori convenire videretur. Auspicalem enim diem incipiendis tantummodo rebus aptum, iisque levioribus fere ac translaticiis, ipsis illis laudibus edocebar, quibus peracta eo die a Traiano negotia Plinius praedicavit. Accedebat ea cogitatio, mihi non unam provinciam demandatam, sed praeter archaeologiam antiquam etiam historiam docendam esse, quae quidem disciplinae, meo iudicio coniunctissimae, plerisque multum inter se distare, longeque diversae esse atque seiunctae videntur. Scilicet ita se res habet. Quamquam omnia antiquitatis studia una scientia et philologiae ambitu contineri persuasum habeo, philologus autem ego aut sum aut certe ut exsistam cupio atque enitor: dandum tamen aliquid ei sententiae intellexi, quam permulti iique eruditissimi viri animis imbiberunt, esse eas antiquariae scientiae partes, quae ferè variis variorum hominum studiis dissociantur, ipsa indole ac natura diversas. Itaque feci, quod in dubia re atque ancipiti fieri solet, fortunae me committendum statui, eo quidem consilio, ut, si quid oblatum esset, quod et ad utrumque genus pertineret nec nimis impeditum videretur, neque omnino confectum iam esset et absolutum, arriperem id coramque hoc amplissimo summorum virorum consessu breviter explicarem.

Dum igitur, sicut nobilissimus Britannorum poeta epico carmini heroem, ita ego orationi argumentum quaero, incidi nuper in eam annalium rei nummariae illustrandae partem [1]), qua Koehnius de loco agere coepit ad consilii mei rationem tam egregie accommodato, ut aptior nllus ne fingi quidem posse videretur. Quaenam enim aut in historiae limine constituto maior oboriri potuit imago quam illius belluae simulacrum, cuius uberibus populi Romani parens sustentatus esse fertur, non sine Dis animosus infans? et quod Niebuhrius, vir immortalis memoriae, res Romanas scribenti sibi prope astare voluit, ut aspectu eius incalesceret atque in difficillimo labore recrearetur? aut quid ad artem statuariam gravius quam insigne illud priscae artis Italicae monumentum, quid sculpturae initia et quasi decursum contemplantibus nobis utilius exsistet, quam accurata temporis, quo illud referendum videatur, definitio? Quum igitur in tali quaestione Koehnius, nescio an alii cuiquam, mihi quidem certe non satisfecerit, constitui hodierno die, quid de lupa aenea Capitolina sentirem, breviter, ut potero, significare: in quo tamen opere si cui vestrum abuti audientium patientia videbor, is, quaeso, meminerit, me hoc dicendi munus non tam appetivisse, quam detrectare non potuisse.

Visitur Romae in aedibus Conservatorum populi, quae in Capitolio sitae sunt, aeneum lupae simulacrum, a cuius uberibus Romulus Remusque pendent recens suppleti, affabre factum, verum torvum aspectu et truculentum, cuius insita ferocia nullo materni amoris signo mollitur et capite ad infantes non converso a suavissima, quam a poetis excultam habemus lambientis pueros et mulcentis imagine distinguitur. Habet tamen nescio quid sancti et venerandi ipsa haec artificii severitas, qua Deorum consilio saevissima bellua ad mite officium licet invita videatur adducta. Germanum id esse Etru-

1) Zeitschrift für Münz-, Siegel- und Wappenkunde. 1845. p. 65—74.

scae artis monumentum et cum sola chimaera Aretina comparandum, inde a saeculo XVI., quo ineunte a Lateranensi basilica in Capitolium translatum atque initio non in superiori contignatione verum in porticu aperta collocatum est, unanimi fere consensu viri docti comprobarunt. Qui quum certatim de loco ac de tempore, ad quod referendum esset, disputaverint, iamiam effectum est, ut satis obscura ea quaestio videatur.

Tres autem fere sententiae ab iis prolatae sunt, quarum una in Capitolio antiquitus stetisse perhibetur, altera eaque plerisque probata ad ficum Ruminalem eodem loco collocata esse existimatur, ubi conditores urbis a lupa reperti dicuntur, tertia denique, uberius a Koehnio ennarata, ad neutrum locum, verum ad alium quendam pertinere putatur, quem accuratius definiendum Koehnius non suscepit.

Cum primis illis non multum nobis negotii est, etsi satis probabili argumento coniecturam infelicem fulcire studuerint. Animadverterant viri eruditissimi, inter quos Ficoronium et Winckelmannum honoris causa nomino, laesam esse statuam ita, ut pedes posteriores nonnihil aeris violento, ut videtur, ictu amiserint. Atque eius rei apud Ciceronem et Dionem Cassium mentionem fieri arbitrati sunt. Inter prodigia enim, quibus biennio ante Ciceronis consulatum graves rei publicae calamitates portendebantur, accidit, ut in Capitolio Romulus et Remus cum altrici bellua de coelo tangerentur.

Nam (Cicero inquit De divin. I. 12.) *pater altitonans,*
stellanti nixus Olympo,
Ipse suos quondam tumulos et templa petivit,
Et Capitolinis iniecit sedibus ignes.
Tum species ex aere vetus generosaque Nattae
Concidit, elapsaeque vetusto numine leges,
Et divum simulacra peremit fulminis ardor.
Hic silvestris erat Romani nominis altrix,
Martia, quae parvos Mavortis semine natos

Uberibus gravidis vitali rore rigabat:
Quae tum cum pueris flammato fulminis ictu
Concidit atque avulsa pedum vestigia liquit.

Cecidisse igitur statuam, laesam neque tamen deletam existimarunt et ipsum illud fulmen, a Iove immissum, manibus se tenere sibi persuaserunt. Verum enim vero recte a Fea Nibbyoque iis reclamatum est. Fuit quidem usque ad Ciceronis aetatem in Capitolio simulacrum idque inauratum, sed tantum abest, ut hodieque conservetur, ut eodem fulgure, cuius vestigia cerni opinantur, eversum ac consumptum fuerit. Efficitur hoc duobus aliis apud Ciceronem locis, quorum altero (De divin. II. 20.) inter statuas Nattae et deorum simulacra, quae antea peremta dixerat, et lupam non distinguitur, altero (Catil. III. 8.) his verbis populum consul alloquitur: *Nam profecto memoria tenetis, Cotta et Torquato consulibus, complures in Capitolio turres de coelo esse percussas, quum et simulacra deorum immortalium depulsa sunt, et statuae veterum hominum deiectae, et legum aera liquefacta; tactus est etiam ille qui hanc urbem condidit, Romulus, quem inauratum in Capitolio parvum atque lactentem, uberibus lupinis inhiantem fuisse meministis.* His si addideris, etiam versibus illis non esse, sed fuisse belluae statuam dici, eam vero, quae hodie conspicitur, inauratam numquam fuisse: intelliges profecto, ne opus quidem esse Dionis loco ad falsum illud opinionis commentum funditus evertendum. Sic autem cum Cicerone consentiens ait Dio XXXVII. 9: *ἐν γὰρ τῷ Καπιτωλίῳ ἀνδριάντες τε πολλοὶ ὑπὸ κεραυνοῦ συνεχωνεύθησαν, καὶ ἀγάλματα ἄλλα τε καὶ Διὸς ἐπὶ κιόνος ἱδρυμένον. εἰκών τέ τις λυκαίνης σύν τε τῷ Ῥώμῳ καὶ σὺν τῷ Ῥωμύλῳ ἱδρυμένη ἔπεσε. τά τε γράμματα τῶν στηλῶν, ἐς ἃς οἱ νόμοι ἐσεγράφοντο, συνεχύθη καὶ ἀμυδρὰ ἐγένετο.* Operam igitur perdiderunt, qui calidius quam cautius fulminis illius vestigia se deprehendisse sibi visi sunt. Hos igitur sine ulla contumelia dimittamus: acrius autem insectandus est Koehnius, qui recte quidem secundum Feam (Fernovium appellat) Winckel-

manno obloquitur, sed quum Dionem cum Cicerone in temporibus discrepare opinatur, luculento exemplo nos edocet, quam late serpant in hoc genere errores, ubi semel a diligenti scriptorum veterum lectione discesseris. Prima mali sedes incauta Winckelmanni verba, qui Iulio Caesare et Bibulo cos. Capitolium de coelo tactum narravit, anno sc. 694. sive quatuor annis post Ciceronis consulatum, quasi vero ille non L. Cottam et L. Torquatum anni 688. consules tum manifesto indicasset tum disertis verbis nominasset. Confudit enim Winckelmannus eum magistratum quo anno 688. functi sunt Caesar et Bibulus, aedilitatem curulem, cum consulatu, quem sex annis post adepti sunt. Contra quem Fea a Dione Cassio consules anni 689. commemorari monuit, L. Caesarem, L. Marcium et C. F. Figulum (praenomina non audeo pronunciare). Mirum sane triumviratum consulum, mire fortunatum hominem, qui duobus praenominibus gavisus sit. Utrumque vero non novit Dio, sed consules appellat eosdem, quos Cicero, anno vero proxime secuto, τῷ ἐχομένῳ ἔτει, L. Caesarem et C. Figulum, id est C. Marcium Figulum. Temere sane et inconsiderate Fea. Multo vero inconsideratius Koehnius, qui Winckelmanni Feaeque erroribus feliciter copulatis Caesarem et Bibulum consules ad Ciceronis narrationem, ad Dionem tresviros illos Feae adhibuit, ita tamen, ut ea, quae criticum virum decebat, severitate Ciceroni potius fidem habendam esse iudicaret.

Longe difficilior restat ea quaestio, utrum eam hodieque conspiciamus lupae imaginem, qua illius loci maiestatem augeri ac decorari voluerunt Romani, qui Romuli aluit infantiam, an aliud quoddam monumentum et ipsum haud dubie publice constitutum. Cuius disputationis placet principia paullo altius repetere et ex ipsa locorum cognitione causae nostrae firmamenta sumere. Ubi a Capitolio descenderis atque venerandis fori Romani ruderibus perlustratis ad collis Palatini radices perveneris, quo e regione Capitolii sito fori comitiique fines terminantur, planitiem usque ad Tiberim extendi

videbis mille fere ac quingentorum pedum, qua saepe flumen loca plana urbis inundavit. Versus eam vero viam, qua a foro Circus maximus ac Velabrum petebantur (novam dicebant) antiquitus antrum Lupercal et lucus Pani Deo consecratus ea montis Palatini parte colebatur, cui Cermalus nomen erat. Illuc quum alveus, quo Iliae liberi condebantur, aquis deferretur, appulit, ut perhibent, ad locum illum Pani sacrum, antro densisque arboribus opacum, atque ibi, sive caprificus radicibus implicitus, sive lapidi alicui illisus haesit puerosque ciecit, ad quos e vicino monte lupa accurrisse fertur. Locorum situm et conditionem valde sua quidem aetate immutatam, dum Fabium Pictorem in ennarandis urbis Romae primordiis auctorem sequitur, optime descripsit Dionysius I. 79. coll. c. 31., atque conservari ait in sacro quodam, nescio utrum Panis an Romuli an Ruminae Deae, eius miraculi imaginem. *καὶ τέμενός ἐστιν αὐτοῦ πλησίον, ἔνθα εἰκὼν κεῖται τοῦ πάθους, λύκαινα παιδίοις δυσὶ τοὺς μαστοὺς ἐπέχουσα, χάλκεα ποιήματα παλαιᾶς ἐργασίας.* En vobis ipsum illud signum Capitolinum. Quid vero Livius? Anno 457. ita inquit X. 23. *Cn. et Q. Ogulnii aediles curules aliquot foeneratoribus diem dixerunt: quorum bonis multatis, ex eo, quod in publicum redactum est, aenea in Capitolio limina, et trium mensarum argentea vasa in cella Iovis, Iovemque in culmine cum quadrigis, et ad ficum Ruminalem simulacra infantium conditorum urbis sub uberibus lupae posuerunt.* Ficum autem fuisse eam arborem, ubi inventi credebantur pueri, et Ruminalem appellatam, nomine manifesto a ruma seu rumine ducto, quo vocabulo mammam significabant, et unde Dea Rumina et Iuppiter Ruminus dicti sunt, uno quasi ore omnes affirmarunt. Confectum negotium dicetis atque arbitrabimini, opus illud antiqui artificii a Livio commemorari, quod a Palatio in Capitolium recentiori tempore migraverit. Cavete, ne faciatis, auditores. Pugnandum enim vobis erit cum Kochnio, qui ne vel plumbeo gladio vos iugulet, summopere est extimescendum. Usus est ille quidem duobus argumentis,

quibus diversissimam esse Capitolinam imaginem demonstraret, altero speciosissimo, altero valde infirmo. Atque hoc Meyerus ad Winckelmanni locum III. 3. 11. praeivit. Nempe nimis antiquam et rudiorem esse existimant, quam quae anno 457. collocari potuerit. Floruisse enim eo tempore, Olympiade centesima vigesima prima, artes Sicyone Rhodique ea iam maturitate, ut incrementi nihil reliquum videretur, floruisse Lysippi discipulos, summos artifices, et ab eorum elegantia priscum illud opus mirum quantum abhorrere. At vero quid Ogulniis cum Lysippo? Num fortasse Graecis artificibus usi sunt? Ita Koehnio placuisse consentaneum est. Quem si audias, ea tum temporis rerum Graecarum Romanarumque fuit coniunctio, ut iam Graeci Romanorum fabulas, quid? ipsam, de qua agitur, Romuli Remique infantiam, Graecis monumentis exornandas susciperent. In ea enim aede, quam Cyzici Attalus et Eumenes Pergamenorum reges Apollonidi matri dedicarunt, praeter cetera fabulosa pietatis exempla Romulum quoque ac Remum cum Silvia matre columnarum ornatibus addiderunt. At quando hoc factum est? Matre scilicet mortua, quae Attalo marito non brevi tempore superstes fuisse traditur a Polybio XXIII. 18. Qui quum eo ipso anno occubuerit, quo ad Cynoscephalas contra Philippum regem pugnatum est (Liv. XXXIII. 21.) anno 556: integro fere saeculo templum Cyzicenum Ogulniorum monumento recentius fuisse apparet. Quodsi vero quis flagrantibus bellis Samniticis Graecas artes Romae floruisse existimet, is videat, ne totam artis antiquae historiam funditus evertat. Falluntur enim egregie, si qui sunt, qui artes unum eundemque ubique terrarum velut cursum tenuisse opinentur. Ne in ipsa quidem Graecia eodem tempore Corinthi, Athenis, Aeginae pariter perfectas fuisse existimo [1]); Siculos bello etiam Peloponnesiaco

1) Quam caute in hoc genere versandum sit, optime monuit Kramerus V. D., cuius verba mea facio: — und es ist wohl zu beachten, dass gerade bei so lebendiger Entwickelung auf dem Gebiete der Kunst,

intra severiorem paullo disciplinam constitisse gigantis illius statua docemur, quem in maximi Agrigentinorum templi ruinis, anno Olympiadis tertiae et nonagesimae tertio nondum absoluti, iacentem conspicimus: Romae vero si quis quinquaginta sex annis ante quam Livius Andronicus fabulas docere coepisset, Lysippi Rhodiorumque elegantiam quaeret, eum valde mirari oportet, Aegyptiorum sculpturam Psammeticho regnante iam degenerasse, tum quum apud Graecos vix nata esse videretur. Fuit sane aliquid inter Graecos Romanosque societatis atque commercii, novit senatus Apollinem Pythium ac veneratus est; cum Rhodiis vero iam ab anno fere 450., ut Polybii XXX. 5. verbis utar, summarum et pulcherrimarum rerum intercessit coniunctio (videtis, quantum auxilii ipse Koehnio suppeditaverim), verum ad artes honestiores eam pertinuisse pernego. Hae scilicet, donec Tarento Syracusisque captis Graecae statuae Romam translatae sunt, totae Etruscae fuerunt, saeculo quinto magno illae quidem studio cultae et quae vel summos viros decerent, sed quae simul austera simplicitate Graecorum illecebras aspernarentur. Unum fortasse genus cum Abekenio heu quondam meo exceperis. Qui vir doctissimus in utili libro, quem de pristina Italiae mediae ante Romanorum imperium conditione scripsit, p. 319. imagines clarorum virorum publice collocatas, velut Pythagorae, Alcibiadis, Hermodori, Graecas fuisse arbitratur. Hoc in Graecis hominibus lubens concesserim, etsi eas quoque eodem modo ex Etruria venisse arbitrari liceat, quo Graecae fabulae Etruscorum artificio in Romanorum animos cultumque se insinuarunt. In Romanis nego, quippe qui propter duo millia statuarum Volsinios expugnatos a Metrodoro Scepsio Romanis obiectos meminerim. Quaecunque vero ad rem divinam et publicam pertinebant, ea Etrusca aut fuisse aut Etruscorum imitatione

wie sie damals stattfand, sehr Verschiedenes nebeneinander hergeht, was kaum einer Zeit anzugehören scheint. Ueber den Styl u. d. Herkunft der bemahlten griechischen Thongefässe p. 72.

expressa idem Abekenius optime perspexit. Et valet hoc de architectura, pictura pariter ac de arte statuaria. Ut Scipionum sarcophagos taceam, egregios quidem, sed admixto denticolorum ornatu a genere Dorico diversos et Etrusci manifesto artificii, ea monumenta laudasse satis erit, de quorum aetate ne dubitari quidem potest. Nummi argentei Romanorum, anno 483. necessario recentiores, quantum pristina severitate distant plerique a Campaniae Magnaeque Graeciae pulcherrimis operibus, quam prope accedunt ad aes Italorum grave et ad austerum Etruscorum genus! Tantum igitur abest, ut rudior illa Capitolini simulacri simplicitas ei sententiae cui Koehnius adversatur, repugnet, ut vel maxime eam commendare videatur.

Restat alterum argumentum, quod speciosissimum appellavi, non illud quidem novum, sed quod praeeunte Abekenio p. 321. iam indicaverat Wieselerus V. Cl., qui libro doctissimo de ara Casalia disputans totum illum de Silvia eiusque liberis locum inde a pag. 38. usque ad 52. uberrime explicuit, quod tamen, quum O. Müllerum Archaeol. §. 162., et, quod valde mireris, Beckerum Topogr. Rom. p. 293. fugisset, laudabili opera in memoriam Koehnius revocavit. Discrepat signum Capitolinum cum reliquis sive artis operibus sive scriptoribus qui Romuli infantiam narrarunt, plerisque omnibus. Praeter paucos enim Antonini Pii nummos omnia nummorum, anaglyphorum, musivi operis monumenta, quae enumerare longum est, eam exhibent animalis speciem, quam in Aeneae clipeo suavissimis versibus descripsit Virgilius:

Fecerat et viridi fetam Mavortis in antro
Procubuisse lupam: geminos huic ubera circum
Ludere pendentes pueros, et lambere matrem
Impavidos; illam tereti cervice reflexam
Mulcere alternos et corpora fingere lingua;

et de qua ita locutus est Ovidius Fast. II. 411. sqq.;

Venit ad expositos, mirum, lupa feta gemellos.
Quis credat pueris non nocuisse feram?

Non nocuisse parum est, prodest quoque: quos lupa nutrit,
Perdere cognatae sustinuere manus.
Constitit et cauda teneris blanditur alumnis,
Et fingit lingua corpora bina sua.

Atque eandem postea quoque praevaluisse, usque ad ultima cadentis imperii tempora unanimi poetarum consensu declaratur. Neque vero ab Augusti demum aetate originem duxisse putanda est, quippe quae iam in Sex. Pompeii Fostli nummo reperiatur, haud dubie Sex. illo Pompeio vetustioris, qui anno 717. consulatu functus est. Nolo contra Koehnium, qui secundum Ursinum et Vaillantum de hoc recentiore Pompeio cogitavit, eo argumento uti, quod e Pighii annalibus III. p. 493. et Fabricii annot. ad Dion. XLIX. 18. repeti possit, hunc non Fostlum, sed Nepotem cognominatum fuisse. Recte enim Drumannus hist. Rom. tom. IV. p. 317. illud cognomen prorsus incertum esse monuit. Verumtamen cum Müllero manifesta artis nondum adultae in Fostli nummo cerno vestigia.

Iam vero hicce nummus, sicut omnia quae insecuta sunt artis litterarumque opera, monumentum aliquod publicum expressisse putandus est. Atque ita tertium nacti sumus simulacrum, recentius illud quidem ac mollioris elegantiae, verumtamen et ipsum satis antiquum et liberae etiamtum rei publicae. Hoc illud esse voluerunt Abekenius, Wieselerus, Koehnius, quod ab Ogulniis anno 457. positum fuisse a Livio narratur, probabili omnino veri specie inducti. Astat quippe lactentibus gemellis pastor Faustulus, astat arbor sacra, ficus Ruminalis; nihil igitur facilius fieri potuit, quam ut Cermalus ac Lupercal mente supplerentur. Attamen fallacissima fuit coniectura. Neque enim, atque id post doctam Bunsenii disputationem ne Koehnium quidem latuit, una, sed duo fuerunt arbores ficus Ruminalis nomine appellatae. Quarum antiquior ad Lupercal sita quum exaruisset, altera in foro posita et comitio id nomen nacta imperatorum temporibus summo studio a pontificibus alebatur, et ubi opus videretur, subserebatur. Atque priorem illam sua aetate iam exstinctam

testatur Ovidius l. l: *Arbor erat, remanent vestigia*, confirmat Servius ad Aen. VIII. 90: *ficus Ruminalis quae fuit, ubi nunc est Lupercal.* Alterius autem primus, nisi fallor, meminit Conon c. 48., qui libellum narrationum Archelao Philopatori ultimo regi Cappodociae inscripsit, fuit igitur Caesaris et Augusti aequalis. Locum monstravit Wieselerus. ὁ δὲ (ποιμήν τις) λαβὼν τὸ μὲν μίασμα χερσὶν ἰδίαις πρᾶξαι οὐ προσίετο, εἰς σκάφην δὲ μεθῆκε κατὰ τοῦ Θύβρεως φέρεσθαι. αὕτη δὲ μετὰ πολλὴν φορὰν περὶ προὔχουσαν χῶνα κατίσχεται ῥίζαις ἐρινεοῦ, ὃς μέγας ἐκεῖσε ἐπεφύκει; et paullo post: δείκνυται δὲ μαρτυρία τῶν τότε παρὰ Ῥωμαίοις ἐπὶ τῆς ἀγορᾶς ἐρινεὸς ἱερά, τοῦ βουλευτηρίου κιγκλίσι χαλκαῖς περιειργομένη. Coniuncta fuit ea ficus cum Atti Navii statua, quam πλησίον τῆς ἱερᾶς συκῆς fuisse Dionysius III. 71., *in gradibus ipsis ad laevam curiae* stetisse Livius I. 36. retulerunt, atque hinc Navia est appellata. Quam in eo loco sacro proventuram esse praedixerat augur, ubi miraculum et cotem defodi iusserat. Haec enim mutilo Festi loco (p. 169. Müll.) contineri egregie a Scaligero perspectum est. Ruminalem eandem non nominat Festus et videtur potius ab altera distinxisse. Nam quae p. 270. Varronem secutus de Ruminali ficu *prope curiam sub veteribus* posita apud Müllerum loqui videtur, ea (mutila enim sunt) multo probabilius et ad reliquos Varronis locos accommodatius ita Merkelius Prol. ad. Fast. p. CXLV. restituit: *Ruminalem ficum appel[latam ait Varrorer. div. VII. in Palatii fauc] ibus,* et quae sequuntur. Aliquando tamen Ruminalis vocari et, quum responso haruspicum incolumis libertatis signum ac praesidium esse existimaretur, religiosissime coli coepta est. Anno U. 810. (Tacitum narrantem audietis Ann. XIII. 58.) *Ruminalem arborem in comitio, quae super octingentos et quadraginta ante annos Remi Romulique infantiam texerat, mortuis ramalibus et arescente trunco deminutam, prodigii loco habitum est, donec in novos fetus revirescerent.* Iam vero quaerendum, quando eo arborum permutatio facta sit. Quodsi enim ante

annum 457. altera exaruerat, altera in comitio Romularis sive Ruminalis appellabatur, efficietur profecto, simulacrum illud ab Ogulniis non prope Lupercal, ubi ποιήματα παλαιᾶς ἐργασίας commemorata vidimus a Dionysio, sed in comitio dedicatum esse. Atque ita visum est Bunsenio, qui astipulantem habuit Abekenium. Commovebatur vir illustrissimus loco Livii I. 4. sane difficili, quo manifesto forum significari putabat. Haec enim de Amulii pastoribus narravit Livius: *ita velut defuncti regis imperio, in proxima adluvie, ubi nunc ficus Ruminalis est (Romularem vocatam ferunt) pueros exponunt.* Quum igitur Livii aetate in comitio eam arborem stetisse intelligeret neque sibi ipsi scriptorem gravissimum repugnantem ferret, eo confugit Bunsenius, ut Ogulnios ad hanc alteram in comitio simulacrum, quod pro Capitolino et ipse habuit, collocasse in animum induceret. Nollem factum. Repugnant enim reliqui auctores tam unanimi consensu, ut, si Bunsenio assentiremus, ne intelligeretur quidem, quomodo unquam pervulgata illa de ficu Cermalensi opinio nasci potuisset. De Naevio quid dicam nescio, cuius Romulo Remi et Romuli alimoniam et lupae interventum narratum esse eo fit veri simile, quod Donatus ad Terent. Adelph. IV. 1. 21. notissimum proverbium *lupus in fabula* interpretaturus contra eorum sententiam disputavit, qui lupum intervenisse dixerant Naevianae fabulae, dum in theatro ageretur. Verum duumviri illi, a quibus factam seu potius stabilitam esse fabulosam Romanorum historiam eodem iure affirmare licet, quo Graecorum theogoniam ad Homerum et Hesiodum Herodotus retulit, Ennius et Fabius Pictor, non noverunt nisi arborem ad Lupercal sitam, uterque Ogulniis aliquanto recentior. Quum enim versu, quem servavit Charisius lib. I. p. 103. dulciferam ficum commemoraverit Ennius, locus autem Virgilii, ubi in Martis antro lupa procubuisse dicitur, totus Ennianus appelletur a Servio: consequitur necessario, ficum prope illud antrum a poeta fuisse collocatam. Idem de Fabio Pictore certius etiam contenditur. Qui si ex uno Dionysii loco notus

esset, dubitari liceret, an ὕλῃ βαθείᾳ illa prope Lupercal ficus quoque intelligeretur. Quum vero locupletissimi praeterea testes adsint, nullus dubitationi locus relictus est. Ordinem ducat Plutarchus, qui Fabium secutus ficum Ruminalem ad Cermalum, sibi ipsi non visam, fuisse tradidit Rom. c. 3. sqq., atque ibi lupae ubera pueris praebita esse duobus aliis locis, Quaest. Rom. 57., De fort. Rom. 8., narravit. Fabium deinde secutus est Cato, Ennium Fabiumque, Latina eius interpretatione usus (cf. Non. v. Sal.), is, quo doctiorem Romae neminem vixisse persuasum habeo, Varro, qui non modo saepius eius arboris mentionem fecit, sed etiam peculiari libello initia urbis Romae enarravit [1]). Commemoravit ficum Ruminalem lib. I. de scen. origin., fortasse dum de Naevii fabula verba facit (p. 250. ed. Bipont.), deinde loco apud Festum p. 270. (p. 364. Bip.); videtur commemorasse p. 319. Bip. Atque is De ling. Lat. V. 54. disertis verbis ad Germalum retulit [2]). Consentit Cicero De rep. II. 2. Quid Ovidius? Nonne ipsum Lupercal arboremque ita descripsit, ut quasi oculis adspicere videamur?

Arbor erat. remanent vestigia, quaeque vocatur
Romula nunc ficus, Romula ficus erat [3]).

Quomodo vero pergitur v. 421?

Illa (lupa) *loco nomen fecit, locus ipse Lupercis.*

Manifestum est igitur, etiam Ovidii aetate locum certe in Lupercali a ficu appellatum esse, atque ita Livium quoque intel-

1) Ex incertis ad hunc librum referenda videntur ea quae p. 364. ed. Bipont. leguntur.

2) *Germalum a germaneis Romulo et Remo, quod ad ficum Ruminalem ibi inventi, quo aqua iberna Tiberis eos detulerat, in alveolo expositos.*

3) Sic e coniectura scripsi. Vocabulum *Romula* utroque loco e suis codicibus pro eo quod vulgo legebatur *Rumina*, restituit Merkelius. Quod vero libros suos Mss. etiam in altero vocabulo *non* secutus atque per negationem alterius rei alteram indicari et verbis *non ficum* sacellum Ruminae Deae significari arbitratus est (Prol p. CL., ad Ibin v. 48.), id recte factum negaverim. Hoc dicit Ovidius: cuius nunc non nisi nomen remanet, ea arbor tunc *erat* arbor.

ligere voluit Merkelius, ut de ipso nomine loci religiosi simulacro nostro indicati loqui eum existimaret. Fateor hoc mihi displicere et mihi potius Livium videri negligentius paullo eam, quam in foro conspiciebat arborem cum antiqua permutasse. Utut est, anno 457. de recentiori illa cogitari nullo modo posse, id iam, nisi fallor, omnibus apparebit.

Circumspicienda est igitur ratio, cur illa arborum permutatio facta esse videatur. Neque haec difficilis est inventu. Mira pietate Romani maiorum memoriam coluerunt, eorum praesertim, quos virtute ac genere diis proximos fuisse sibi persuaserant. Repleta erat Urbs Romuli monumentis, templis, statuis, ita tamen, ut plurima fori viciniam exornarent. Religiose casam parvam, a Romulo habitatam, conservari et renovari curarunt, eamque duplicem. Alteram in Palatio sitam Dionysius I. 79., Plutarchus Rom. c. 20. descripserunt, alteram Capitolinam ipse Iuppiter Optimus Maximus a Beckeri audacia (p. 401.) tuetur[1]). Visebatur in Vulcanali quadriga et in ea Romulus a Victoria coronatus, in Capitolio statua regis et monumentum id, de quo dictum est. In foro vero prope Rostra nigro lapide ac leonum simulacris Faustuli ipsiusque Romuli sepulcrum monstrari credebant, utrum sepultus unquam an discerptus an in coelum assumptus esset, unice securi. Minime igitur mirandum est, etiam infantiam monumento publico ibi celebratam esse. Quod quando dedicatum sit, certo definiri nequit, quodsi autem quis ab ipso illo Pompeio Fostlo collocatum dixerit, non vehementer repugnabo. Quod quum elegantius sculptum et celeberrimo loco, in conspectu populi positum esset, fieri non potuit, quin antiquioris illius memoriam obscuraret atque deinceps solum fere imitando exprimeretur. De eo dubitari licet, utrum lambentis belluae imago a statua ad poetas, an ab Ennio ad statuam transducta sit;

1) Conon. l. l. *καὶ καλύβη τις ἐν τῷ τοῦ Διὸς ἱερῷ γνώρισμα τῆς Φαυστύλου διαίτης, ἣν ἐκ φορυτῶν καὶ νέων φρυγάνων συνιστῶντες διασώζουσιν.*

placuit tamen unice, sic ut consentaneum erat, ita ut praeter Antonini nummos nusquam rudius Ogulniorum opus effictum videamus. Prope astituit ei ficui, quae a Navii statua Navia vocabatur; itaque, postquam Ruminalis exaruerat, facillime factum est, ut paullatim ea sese in hominum animos insinuaret sententia, eadem arbore, prope quam lupae simulacrum omnibus admirationi erat, etiam conditores Urbis olim protectos fuisse. Atque haec superstitio, cui prudenter, ut solent, cesserant sacerdotes, percrebuit paullatim et Taciti aetate omnem alterius ficus memoriam abolevit. Unus tamen dubitavit, Varronianae doctrinae aemulus, Plinius, cuius gravissima verba (XV. 18.) eaque misere corrupta ultima huic loco reservavimus. Quorum emendationem egregie a Scaligero inchoatam adiuvit aliquantum Bunsenius, non multum promovit Müllerus ad Festi l. l., pessumdedit Beckerus p. 292. Ita autem a Silligio codicum praesertim Thuani et Dalecampii ope scripta sunt. *Colitur ficus arbor in foro ipso ac Comitio Romae nata, sacro fulguribus ibi conditis, magisque ob memoriam eius, quae nutrix fuit Romuli ac Remi conditoris appellata, quoniam sub ea inventa est lupa infantibus praebens rumen (ita vocabant mammam), miraculo ex aere iuxta dicato, tanquam in Comitium sponte transisset, Atto Navio augure. Illic arescit, rursusque cura sacerdotum seritur.* Iam hic Ruminalem ficum in verbis illis *Romae nata* latere perspexit Scaliger, post quem ad sententiam recte, in verbis audacius Bunsenius ita locum constituit. *Colitur ficus arbor in foro ac comitio, ante Romam nata: sacra fulguribus ibi conditis, Ruminalisque ob memoriam eius, quae fuit nutrix Romuli ac Remi, conditorum urbis, appellata, quoniam sub ea inventa est lupa infantibus praebens rumen, ita vocabant mammam: Navia miraculo, ex aere iuxta dicato, tanquam in comitium sponte transisset, ab Accio Navio. Illico arescit, rursusque cura sacerdotum seritur.* Eum secutus est Müllerus, nisi quod ultima vocabula sic scripsit: *Navia autem miraculo ex a. i. d., t. i. c. sp. transisset Atti Navi*

augurio, quae cum arescit, rursus c. s. s. Quae quum Beckerus ita induxisset: *Müller lieset grösstentheils nach Bunsens Vorschlägen*, festivus iterum Koehnius, qui nec Bunsenii nec Mülleri libros inspexit ac gravissimo vocabulo *grösstentheils* praetermisso ultima tantum verba, quae sunt Mülleri, pro Bunsenii coniectura venditavit. Quod vero Bekkerus languidum illud *Romae nata* retinendum censet ac deinde *Remi* nomine eiecto ita pergit: *magisque ob memoriam eius, quae nutrix fuit Romuli conditoris ac Ruminalis appellata*, quasi non plurali numero *infantibus* necessario utriusque pueri nomina postulentur, id quam male factum sit, ipse viderit. Leniori medicina iuvandus locus et sic explicandus videtur: *C. f. a. i. f. i. a. c., sacra fulguribus ibi conditis, magisque* (sc. sacra) *o. m. eius q. n. f. Romuli ac Remi conditorum Urbis appellata* (sc. lupae, non arboris), *quoniam s. e. i. e. l. i. p. r. (i. v. m.), miraculo è. a. i. d., t. i. c. s. t. allecta* (seu *adducta*) *a Navio augure.* Participium verbis codicum *atto navigio, acto navigio* etc. contineri videtur. Quae vero sequuntur: *Illic arescit rursusque cura sacerdotum seritur*, ea ad ipsum illud prodigium pertinent, quod a Tacito narrari meminimus.

Eo iam adducta res est, ut inter monumenta comitii ac Lupercalis distinctum esse videatur, quorum alterum antiquitus fama magis celebratum, alterum Fortunae benignitate nobis conservatum esse affirmamus. Ita enim (placet ea quae adhuc disputata sunt, paucis resumere) ratiocinamur. Quae fere sola in publicis imperii Romani monumentis invenitur species, ea e loco publico ac celeberrimo repetita est. Is autem locus procul dubio fuit comitium. Itaque e comitio ea lupae species repetita est. At vero ibi ad ficum Ruminalem, Naviam antea vocatam, stetit, ad quam ab antiquiore arbore Palatina nomen transiit. Quod non ante annum 457. factum est. Itaque non fuit ea statua in comitio collocata, quae anno 457. ab Ogulniis ad ficum Ruminalem posita est. Haec igitur ad ficum Palatinam pertinet. Ea igitur, quae in comitio stetit et nummis repraesen-

tatur, ab Ogulniorum monumento diversa fuit. Non fuerunt autem post Ciceronem nisi duo simulacra aenea publice collocata. Alterum in comitio positum nummis exhibetur. Alterum igitur nobis relictum est. Itque sic causa, ut opinor, victa est, auditores. Dixi [1]).

Aliud praeterea restat argumentum, locus, ubi statua Capitolina reperta dicitur, aedes S. Theodori ad ipsum montem Palatinum et Lupercal sita. De quo loco quum VV. DD. dubitare, Niebuhrium [2]) autem ac Bunsenium [3]) manifesto vulgari sententiae contradicere viderem, eam publice defendere non ausus eram. Atque etiamnum, licet errasse viros doctissimos magis magisque mihi persuadeam, tamen, quoniam fortasse aliquid me fugit, quod apud scriptorem mihi ignotum delitescat, cautius agendum ac non tam de re certa quam veri simili disputandum mihi erit. Audiamus testes. Ita is quem in tali quaestione primum citabis, Flaminius Vacca sculptor egregius, anno 1594 [4]). *Intesi dire, che l'Ercole di bronzo, che oggi si ritrova nella sala di Campidoglio, fu trovato nel Foro Romano appresso all' Arco di Settimio Severo, e vi fu trovata*

1) Constantinopoli inter *παλαιὰ σεμνώματα του γένους* lupam quoque commemorat Nicetas Choniates fragmento de signis Constantinopolitanis, quod a Fabricio et Bandurio editum historiae addidit I. Bekkerus p 860. 20., nescio utrum Roma e comitio an aliunde translatam.

2) Rom. hist. vol. III, p. 496. Es ist eine allgemein angenommene Meinung, dass die kapitolinische Wölfin die nämliche ist von der Livius sagt, dass sie im Jahr 451 (457) mit den säugenden Kindern bei dem Ficus Ruminalis errichtet sey: und wenn sie auch erweislich nicht dort gefunden ist, sondern schon vor neunhundert Jahren im lateranischen Palast stand, so fällt dadurch nur ein missbräuchlich angewandter äusserer Beweis weg, wogegen es sehr begreiflich ist, wie ein solches Werk, nach der Veränderung der Religion, von seinem ursprünglichen Standort weggenommen ward.

3) Descript. U. Rom. vol. III. A. p. 507: so wie die eherne Wölfin den Gerichtsplatz der iudices palatini im Patriarchium bezeichnete. Verum neque eo loco, ubi de iudicibus Palatinis disputavit Bunsenius vol. I. p. 221. sqq., neque apud Blumium Mus. Rhen. iuris prud. V. p 129.), neque apud Gallettum in libro *del primicero* lupae mentionem fieri animadverti.

4) Fea, Miscell. vol. I. p. LII. L'Arco di Settimio Severo è quello accanto a S. Giorgio in Velabro. Cf. Fea in interpretatione Winckelmanni, Storia delle arti vol. III. p. 409.

anche la Lupa di bronzo, che allatta Romolo, e Remo, e sta nella loggia de' Conservatori. Erravit Vacca, Herculis enim statuam Sixto IV. regnante in foro Boario repertam esse scimus, sed ex ipso errore verum elucet. Permutavit enim insignem eum Septimii Severi arcum, qui in foro Romano conspicitur, cum altero ab argentariis fori Boarii erecto et iuxta aedem S. Georgii in Velabro, prope Palatium et Lupercal posito. Quae deinde Boissardus Vesuntinus, qui anno 1559. seditioni post Pauli III. obitum ortae interfuit, de lupae simulacro a ficu Ruminali in basilicam Lateranensem, et inde in Capitolium translata narravit[1]), ac quae in eandem sententiam a. 1548. L. Faunus, anno 1556. Aldroandus disputarunt, ea omnia ad Andream Fulvium auctorem referenda sunt[2]). Ille autem, qui anno 1527. ad Clementem VII. de Urbis antiquitatibus scripsit, propter ficum Ruminalem comitium versus Lupercal et aedem S. Theodori extendit atque inde lupae simulacrum translatum esse tradidit. P. 86. (ed. a. 1545. 8.) *Extant hodie ex vetustis signis in Capitolio pro Aedibus Conservatorum, Lupa Aerea cum Infantibus conditoribus Urbis Romulo, et Remo, sub uberibus Lupae, quae prius erant in Comitio ad Ficum Ruminalem, ubi expositi fuerunt . . . Unde in Lateranum prius, postea in Capitalium delata* (simulacra). P. 217. *(e Dionysio) Antrum vero conjunctum Palatio aedificiis ostenditur, juxta viam, qua itur ad Circum, Templumque ; ei proximus* (sic), *in quo est imago hujus casus, Lupa praebens duobus ubere infantibus, antiqua opera simulachro aerea, quae hodie sunt in Capitolio.* P. 213. *In hoc ambitu fuisse* (ajunt) *Vulcani aedem, ante cujus Fores pependit, usque ad incendium Gallorum, Scyphus ille: in quo Romulus et Remus fuerunt expositi, ad radices Palatii, ubi nunc est rotunda Aedes S. Theodori.* Iam

1) Romanae Urbis Topographia. Francof. 1597. fol. p. 26.

2) Faunus, De antiquitatibus Urbis Romae. (Venetiis 1549.) 8 fol. 31., 37, 51. versis. in Sollengr. thes. vol. I. Aldroandus apud Feam Misc. tom. I. p. CCXX.

vero Fulvium fide dignum auctorem habendum esse meo ipsius errore comperi. Quippe olim (Descr. U. R. III. B. p. 373.) aedis S. Mariae in Ara Caeli gradus a templo Quirini non esse sumptos, neque Othonem Mediolanensem anno 1348. Romae senatorem fuisse, Nibbyo (ad Nardin. Rom. ant. II. p. 75. cll. Roma nell' anno 1838. II. p. 709.) temere credideram. Vere autem ea a Fulvio et Pomponio Laeto narrari Papencordtii libro (Cola di Rienzo und seine Zeit. 1841. p. 201.) mihi et praeter Beckerum (Topogr. p. 573.) omnibus patefactum est. Verumtamen hoc sponte quisque concedet, si Niebuhrius iam ante nongentos annos in palatio Lateranensi stetisse lupam aeneam recte affirmet, tum nihil in ea quidem quaestione, quam nunc agimus, Fulvio esse tribuendum. Tantum autem abest, ut in Niebuhrii sententiam transeam, ut ne ineunte quidem saeculo XV. lupam cognitam fuisse meo iure contendam. Nullam eius in Mirabilibus Urbis Romae mentionem factam video, ubi inter caetera antiquitatis monumenta etiam lupae simulacrum lepide descriptum esset, si iam tum innotuisset, nullam in Ioannis Diaconi libello, quem saeculo XII. de basilica Lateranensi scriptum edidit Mabillonius Mus. Ital. tom. II. p. 360. sqq., nullam in Petrarchae epistolis, in Nicolai tribuni vita, in chartis et documentis apud Gallettum (Del primicero), et, quantum scio, apud Muratorium nulla. Frustra recentiorum Italorum libros de basilica et patriarchio Lateranensi scriptos, Allemanni, Rusponi, Ciampini, perlustravi, frustra inter nostrates Hoefleri [1]) et Papencordtii [2]) commentarios adhibui, a quibus dedita opera tum de Laterano, tum de monumentis antiquis per medium aevum notis disputatum est. Atque sic iam valde dubia Niebuhrii opinio redditur, evertitur omnino iis, quae apud Poggium libro primo

1) Die deutschen Päpste. 1839 vol I. p. 105., 131. sqq., 319. sqq.

2) Cola di Rienzo p. 41. sqq., 132. Quod enim Tudertinis legatis Nicolaus Laurentii f vexillum suis populique insignibus, lupa et gemellis, ornatum dedit, id his ipsis gemellis, qui saeculo demum XV. vel XVI. operi Capitolino additi videntur, a simulacro nostro non petitum esse efficitur.

egregiae Historiae de varietate Fortunae leguntur [1]). Ibi eius aetate, anno 1431., non nisi sex statuae Romae in vulgus notae fuisse perhibentur, eaedem prorsus, quae in Mirabilibus U. R. nominantur, atque inter eas lupam frustra quaeres [2]). Neque apud Flavium Blondum quidquam de ea invenies. Itaque saeculo demum XV. reperta putanda est, haud dubie eo loco, quem commemoravit Fulvius, atque ubi ab Ogulniis collocatam fuisse demonstratum est.

1) Librum Nicolao V. regnante perfectum, cuius exigua pars in utroque Operum exemplo, Argentoratensi a. 1513. et Basileensi a. 1538. atque in primo Sallengriani thesauri tomo legitur, integrum edidit 10. Oliva Parisiis 1723. 4. Cf. Apostolus Zenus Dissert. Voss. vol. I. p. 38., Shepherd, Vita di Poggio Bracciolini, tradotta dall' avv. Tommaso Tonelli. Firenze 1825. tom. II. p. 94. sqq. Hinc corrigendi errores Bunsenii Descr. U. R. I. p. XVIII. et Beckeri Topogr. p. 78.

2) Locum etiam Bunsenio l. l. p. 256. cognitum partim exscripsit Boettigerus Opusc. vol. II. p. 10. *ex innumeris ferme colossis, statuisque tum marmoreis, tum aeneis — marmoreas quinque tantum, quatuor in Constantini thermis, duas stantes pone equos, Phidiae et Praxitelis opus; duas recubantes; quintam in foro Martis statuam, quae hodie Martis fori nomen tenet, atque unam solam aeneam equestrem, quae est ad basilicam Lateranensem Septimio Severo dicatam tantum videmus superesse.*